

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Lvdovici Venegas ... Mariale beatissimae virginis variis  
conceptibvs moralibvs illvstratvm**

**Venegas, Luis**

**Fribvrgi Brisgoiae, 1624**

Sermo secundus

[urn:nbn:de:bsz:31-160454](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160454)

mihī & vobis prestare dignetur Iesus  
Christus Amen.



*Sermo Secundus.*

PRO SALVTATIONE  
*Angelica.*



Odierna luce (Charissimi  
mi auditores) de sole-  
mni quadam visitatione  
acturi sumus, quam cæ-  
lorum regina filium Dei  
visceribus gestans suæ cognatæ Eli-  
sabeth exhibuit, reuocabimus etiam  
in memoriam viam illam arduam  
& difficilem, quam Beatiss. Virgo  
per montana Iudææ celeri & conci-  
tato passu confecit, quæ Zachariæ  
domum ingressa, & illius vxorem  
amplectēs, taliter illam salutauit, vt  
ex ea salutatione rationis vsū Ba-  
prista præueniens, licet non verbis,  
signis tamen sui Saluatoris aduen-  
tum præsensit ac indicauit; Et nisi  
intra maternum vterū latuisset, ver-  
bis etiam suum conditorem salutā-  
set, ac pedes Beatiss. virginis deoscu-  
latus fuisset; Tantæ efficaciz hodi-  
erna saluatio extitit, vt ex vi illius  
Ioannes impletus fuerit Spiritu  
Sancto, in gratiam & amicitiam di-

uinā acceptatus & confirmatus, at-  
que originali culpā liber euaserit; E-  
lisabeth etiam ex redundātia gratiæ,  
quā filius abundabat, Spiritu Diui-  
no referta, ac illius gratiā conforta-  
ta, Beatiss. Marię de infinita matris  
Dei dignitate adepta gratulatur, ac  
prosperitatem & felicitatem ven-  
turam prædicit: Maria verò san-  
ctiss. laudibus humilior effecta, e-  
latis in cælum oculis, gravi ac se-  
reno vultu dulcissimas voces pro-  
ferens, cælestem ac suauissimum  
contentum excitauit. Denique per-  
solutis omnibus humanitatis officijs  
erga suam cognatā Elisabeth, in qui-  
bus fermè per tres integros menses  
detenta fuit, domum iterum reuerfa  
est. Quæ omnia vt latius aperiāmus,  
& mysteria, quæ in hac visitatione  
latent, in lucem eruāmus, indige-  
mus gratiā Spiritus Diuini, mediā  
salutatione Angelicā postulemus.  
Dicentes, Ave Maria.

*Exurgens Maria abiit  
in montana cum festina-  
tione Luc. 1.*

**I**Nter ea quæ Deo magis placent,  
& quibus strictus tenetur ad no-  
ua & maiora beneficia hominibus  
impertienda, animi censetur gra-  
titudine; quā homo bona à Deo ac-  
cepta ex diuina largitate, larga &  
libe-

liberali manu processisse recognoscit, quam animi gratitudinem & beneficii accepti recognitionem, non segniter, sed instanter ac summâ diligentiam postulat. **DEVS**, postquam filiis Israël terram promissionis liberaliter concessit, statim animi gratitudinem, & tanti beneficii memoriam his verbis postulauit. *Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua iurauit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob, & dederit tibi ciuitates magnas & optimas, quas non edificasti, domos plenas multarum opum, quas non extruxisti, vinea & oliueta, quae non plantasti, cisternas quas non fodisti: & comederis & saturatus fueris, caue diligenter ne obliuiscaris Domini, qui eduxit te de terra Aegypti, & de domo seruitutis, Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruias. Deut. 6.* Vbi animi gratitudinem non solis verbis expressam, sed operibus manifestatam exigit. *Luc. 18. Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum. Gratiarum actio huius Pharisei idem tantoperè Deo displicuit, quia solis verbis & non operibus constabat. Alio modo sanctus Ioseph sui generosi animi gratitudinem ostendit; cum enim à sua domina vehementer vrgeretur vt in turpem & carnalem concubitum consentiret, sic sanctus iuuenis eam astatus est. Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Gen. 39.* Tunc beneficia à suo domino liberaliter accepta re-

presentata fuerunt, quibus astrictus ac detentus, nec viam nec modum inuenire potuit, quo grati animi iura constringens, in suum Dominum peccaret. Miror sanè quo vultu peccatores in suum conditorem insurgant; cum ab ipso singulis momentis singularia beneficia recipiant, vitam, conseruationem, solem, vt illuminentur, cœlum etiam, si illud adipisci velint: alia specialiora beneficia prætereo, quæ iuxta statuum diuersitatem experimur. Quibus non obstantibus effrenati peccatores in contumeliam sui creatoris quotidie peccant, forsitan quia beneficia accepta non vocitant, nec cum Iosepho in memoriam reuocant. *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Vult ergo Deus optimus ac maximus, vt colatis ab ipso beneficiis gratitudine animi occurramus, præcipue ea in bonum proximi couertendo; cuius contrarium severo ac minaci vultu conspicit, & grauissimè punit, vt ex variis scripturæ locis demonstrari potest. Ille enim, cui Deus decem millia talentorum liberaliter condonarat, quia tanti beneficii oblitus, suum conseruum debitorem rigorosè vexauit, seuerissimè puniuit. Idem constat in Dauide 2. Regum capite 12. cuius filius ex Bersabea genitus, quem vnicè diligebat, immaturâ morte meretricibus omnibus ex diuina dispositione interiit, quia Dauid tot beneficiorum*

rum

rum quæ à Deo acceperat oblitus, illis abutens, Vriam interfici curauit, vt illius vxore liberiùs frueretur. *sapientibus & insipientibus debitor sum Rom. 1.* Debitù gratitudinis præcipuè circa proximù siue sapientem siue insipientem manifestari debet, in quo nos esse filios Dei & illius discipulos aperte indicabimus. *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Ioann. 13.* Cùm beatissima Virgo animi gratitudine omnes alias creaturas excelluerit, sicut & aliis virtutibus antecelluit, ex reuelatione Angeli cognoscens suam cognatam in senectute filium concepisse, cum festinatione properauit vt eam salutaret, quod debitum esse existimauit propter infinitam matris DEI dignitatem nouiter acceptam, cuius beneficij magnitudinem perpendens in signum gratitudinis, vt illam circa proximum ostenderet, visitauit Elisabeth. *Exurgens Maria abiit in montana.* Primum quod à Beatiss. virgine post acceptam matris Dei dignitatem effectum est, opus hoc visitationis extitit; quàm primum enim Angelus discesserat post celebratum mysterium Incarnationis, montana statim conscendens, visitauit Elisabeth, Eam non supremam Matris Dei dignitas, nec cælorum imperatricis maiestas detinuit, neque etiam cùm se totius Trinitatis Sacrarium ani-

mauertisset, post tot ac tanta mysteria, quæ ex salutatione Angeli resultarunt, iam in vtero supremum Deum, molitorum & opificum omnium continens, cuius magnitudinem vniuersa mundi machina capere non potest. *Exurgens abiit in montana, vt salutaret Elisabeth.* Hæc est magnitudo & præstantia filiorum Dei, qui iuxta dignitatem maiorem, excellentiam ac supremam fastigia, magis in propria estimatione vilescunt. Angelus Beatiss. virgini infinitam Matris Dei dignitatem offert, ipsa tamen se ancillam fatetur. Id planè sanctis & seruis Dei cõtingit, quod arboribus euenire solet. Arborea enim, dū feracitate suâ vberiores fructus producant, & illis onustæ fecunditatem suam manifestant, eò magis ad terram vsque deprimuntur ac humiliantur. *Iustus vt palma florebit Psal. 19. S. Gregorius 19. moralium cap. 25.* hanc iustorum proprietatem in palma in qua representantur, accuratè animaduertit; palma enim iuxta radices, quæ terræ inhaerent, tenuis est ac debilis apparet: at iuxta ramos, quibus vberissimi & dulcissimi fructus insunt, fortior & crassior est, ibi suam fertilitatem & vbertatem ostendit. Sic Sancti dum magis suarum virtutum eminentiâ cælo appropinquât, & illis micat & splendent, iuxta terram in propria estimatione viliores apparêt, ac de se humiliora sentiunt, vt in Baptista

Y

&amp; ali

& aliis sanctis comprobari potest. Eligens enim Dominus Baptistam, ut ab ipso baptizaretur, & super proprium caput manus suas imponderet, quod maximam illius dignitatem aperte indicabat; Baptista tamen ita humiliter extitit, ut vix corrigiam calcamentorum Christi dissoluere auderet. Aliud in huius seculi amatoribus contingit, ita enim quacunque dignitate evanescent, ac in sublimem efferuntur, ut vix præ superbia, altitudine, etiam ad motam scalam vel ipsis loqui, vel cum eis conversari possis. *At contra iustorum vita (inquit Gregorius.) per palmam significata, qui nequaquam in terrenis studiis sunt fortes, longè magis studiosos & humiles se exhibent.* Virtutum enim suarum splendorem ac fulgentissimam lucem, soli Deo & non mundo huic manifestari cupiunt. Si iuxta carnis & huius seculi vota processisset Beatissima Virgo, rationi magis consentaneum videretur, ut suam gravitatem, ac infinitam Matris Dei dignitatem ostentando dominum mansisset; id tamen non prestat, quia iusti in hoc seculo suam excellentiam ac dignitatem humilitate cooperiunt, ut soli Deo luceant & splendeant. Ad propositum notandus est pulcherrimus locus. *Pulchra ut luna. Cant. 6.* Vbi Spiritus Divinus suam sponsam pulchritudinem comparat luna, quæ comparatio nec my-

sterio, nec difficultate caret; quia in sacris litteris non solum iustorum animæ, quæ nomine sponsæ intelliguntur, sed etiam stulti & peccatores comparantur lunæ. *Stultus ut luna. Eccles. cap. 27.* Quid ergo in luna reperitur, ut tam iustis quam peccatoribus convenienter accommodari possit? Pro huius mysterii explicatione notatu dignissimum est incrementum & decrementum lunæ. In eodem enim sui cursus termino & sine decrevit, & incrementum lucis sortitur, diversimodè tamen, maiorem vel minorem lucem à sole mendicat, dum ab ipso micantibus radiis percutitur. Si enim in oppositione sit, tunc ab ipso lucè participat ex ea parte, quæ respicit terram, & consequenter in ordine ad eam lucet & splendet, sed in ordine ad cælum, suam naturam obscuritate potitur. At quando est in sua coniunctione ad solem, è contra accidit, tunc enim ab illo lucem recipit, non ex ea parte, quæ respicit terram, sed ex illa, quæ cælo coniungitur; Ideò versus terram obscura est, in ordine tamen ad cælum splendidissimam luce corruscat, & hæc est maxima quæ in luna reperitur. Luna ergo cum cælo micat, in terris tenebrosa est, cum vero versus terram splendet, in ordine ad superiora atram caligine circumvoluitur. Modò ad nostrum propositum redeuntes, comparationem Spiritus Divini

uini

uini, & mysterium latens aperiemus. Comparat enim stultos lunæ, & iustos etiam eidem appropriat, diuersimodè tamen. Nam cum amatores huius sæculi, qui in ipso sapientes reputantur, stulti sint apud Deum, lunæ comparantur ex ea parte, quâ lucem in ordine ad hæc inferiora participat; quia inter mundanos suam excellentiam ostentantes, & illâ superbientes, in hoc sæculo lucent, ac sapientes reputantur, sed coram Deo insipientes & stulti sunt, nullo diuini luminis splendore illustrati; Iusti vero, quia virtutum suarum excellentiam humilitate tegunt, ne mortalium oculis sapientes reputati, suam eminentiam ostendant, lunæ cõparantur, quando in coniunctione solis lucem ab ipso mendicat, tunc enim in ordine ad superiora splendent luce corruscant; in ordine tamen ad hæc inferiora, vbi iactantia & superbia viget, abiecti & humiles, ac sine splendore iudicantur. Ideò sponsus puritatem Beatiss. Virginis lunæ comparat. *Pulchra vt luna;* quia tot virtutibus, præcipuè infinitâ matris Dei dignitate cum splēderet, illâ mortalium oculis occultâs, solùm se ancillâ Domini fatetur: Et hodiernâ luce omnem grauitatem & mûndana iûra, quæ ex titulorum ac dignitatum præstâtia oriri solent, spernens, festinanter & properato cursu salutauit Elisabeth. *Abiit in montana cum festinatione,* Mirandum sanè est,

quòd Beatiss. Virgo, cum ita delicata foret per montana, vbi via aspera, & lapidib. obruta esse solet, ita festinãter conscendat, Vnde tot vires tenerimæ virginis accreuerunt; Pro huius explicacione in cœlestes orbes mentis etiã acie conuertamus; omnia eni cœlestia corpora suos naturales motus habent, ex quibus aliquatardiùs, aliqua verò aliis velociùs moventur; si tamen in ordine ad motum primi mobilis considerentur, tantâ velocitate per motum raptum primi mobilis agitantur, vt viginti quatuor horarum spatio suum cursum cõficiant. Ita similiter si Beatiss. virginem secundùm se concipiamus, eam tenerimam & delicatam inuenimus; At si primum motorem totius vniuersi, ac creaturarum molitorem, quem suis viscerib. gestabat perpendamus, non mirabimur, si tenellam virginem per môtana properantem conspiciamus. Ideò Esaias cap. 8. loquens de filio Dei in hunc mundum aduentante, sic ait. *Voca nomen eius, Accelera: spolia detrahete festina pradari. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariae coram Rege Assyriorum.* Propheta sanctus Filium Dei hoc nomine vocat; *Accelera;* quia priùsqum patrem aut matrem vocitare possit, fortiores Samariæ deuincet ac superabit. Vocat etiam tali titulo, quia antequam scientiã experimentalis

Y 2      patrem

patrem aut matrem agnosceret, suum amicum Baptistam etiam in vterolatentem sanctificare, & prophetæ spiritum ei communicare poterit! Quàm celeri cursu Deus noster ad sanctificationem hominis properat! *Ecce venit iste saliens in montibus, transfiliens colles. Cant. 2.* Quo suprema Maiestas tam citò festinat, saliens in montibus & transfiliens colles? Non aliud quàm ad reparationem & sanctificationem hominis executioni mandandam, idè celeriter progreditur, & eadem celeritate suam sanctissimam matrem per montana secum ducit. Sicut enim Deo iucundissimū est hominibus benefacere: ita etiam beatiss. virgini longè gratissimum; Idè Ecclesia eam collum appellat. *Collum tuum sicut monile. Cant. 1.* Quemadmodum enim collum corpus cum capite vnit ac copulat; ita Maria sanctissima peccatores cum Christo strictissimo amicitie vinculo coniungit. Imò eo ipso quòd supremam matris Dei dignitatem acceptavit, se etiam in peccatorum matrè lubentissimè insinuauit. quod aperte in sanctificatione Baptistæ cōprobatum reperimus. Quàm primum enim Incarnationi consensit, cum festinatione in reparationem & iustificationem illius properauit. Est planè Beatissi. virgo pulcherrima illa Esther, quæ veniam pro suo populo adeptæ est; Et altera Rebecca, quæ benedictionem pro minori filio, qui

peccatorem representabat, obtinuit. Ad hoc ergò cum festinatione per montana conscendit, vt peccatores iustificaret, & suo conditori conciliaret. *Abijt cum festinatione.* His verbis proprietates quædam & conditio iustorum aperitur. Iusti enim cum sint filii Dei, propriam Dei conditionem & affectiones imitantur, sicut & mundani homines dæmoni in suis actionib<sup>9</sup> assimilari cupiunt, quia per peccata in dæmonis filios adoptantur. *Quod natum est ex carne, caro est. & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ioan. 3.* Quemadmodum enim leo, aut equus aliū sibi similem in natura & affectionibus generat: ita similiter turpis & carnalis homo non nisi turpitudinem & sensualitatem generat, nequè de alijs cogitat, etiam si gaudia cœlestia illi proponantur; ad eum modum, quo, si equo præstantissima fœcula, gallinas aut perdicæ apponeret, illis spretis proprium pabulum amplecteretur, ita sensualis nihil præter turpitudinem percipit, omnia alia execratur & fastidit. *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt. spiritualis autem omnia dijudicat. 1. Corinth. 2.* Iusti verò & spirituales homines, cum Dei conditiones ac proprietates assequantur, ea quæ Dei sunt, hereditario iure sibi vendicant: sicut enim Deus fortis, iustus, ac mundissimus est, eadem fortitudine, iustitiâ ac munditiâ pollent. Inter alias affectiones & con-

& conditiones, quæ in Deo erga hominem animaduertimus, hæc est præcipua, quæ illius bonitatem & maximū amorem erga hominem demonstrat. Cū enim hominibus beneficia confert, non ea lento pede, sed festinanter ac prope rato cursu largitur, in puniendo verò graui ac tardissimo passu incedens, suam indignationem exequitur ac manifestat; Quod ex sacris litteris apertè comprobari potest. Cū enim primi nostri parentes peccauissent, non statim diuinam ultionem experti sunt, sed ad aurā post meridiem tardo & quasi plumbeo pede ad eos aduentauit: Eodem passu ad puniendos Sodomitas progressus est. *Descendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint. Gen. 18.* Quibus verbis simulat se peccata Sodomitarum nō animaduertisse, & in illorū punitione ita tardè incesit, vt prius Abrahamum & Ieremiam sollicitauerit, ne forsitan orationibus iustam vindictam impedirent. *Nec assumas pro eis laudem & orationem: Et non obsitas mihi, quia non exaudiam. Ier. 7.* Similiter in creatione vniuersi hoc apertè ostensum est; totam enim hanc mundi machinam vnico momento propter hominem molitus est; sed in illius denastatione propter hominum peccata, per multorum temporum spatia detentus fuit. *Ego sum Deus Zelotes vindicans iniquitatem patrum in filios vsque ad terti-*

*am & quartam generationem. & faciens misericordiā in millia hominū, qui diligūt me. Exod. 20.* Vbi misericordia diuina ad millia hominū, hoc est, ad infinitos homines, vindicta verò tantū vsque ad tertiam & quartam generationem extenditur. Verū vt hoc accuratius perpendamus, notandus est; currus ille Ezechieli propheta in diuina visione demonstratus, quæ illa quatuor mysteriosa animalia versus firmamentū velocissimè trahabant *cap. 2.* Sanctus Gregorius per prædictum currum secundum Dei aduentum ad iudicandos; & puniendos peccatores intelligit; qui congruè ad nostrum propositum per currum representatur: Quia currus antequam ad nos aduenerit; prius cit cum volutis rotis maximum strepitum excitat, in quo lenta & morosa punitio peccatoris demonstratur; neque enim Deus primo quasi impetu facto peccatores opprimit, sed potius vt vindictam differat, & peccatores præmoneat, strepitum excitat, vt ad se reuersi, suam punitionem effugiant. *Stridebo super eos sicut stridet plaustrum onustum feno. Amos 2.* Egregiè planè his verbis nostra doctrina exponitur ac illustratur. Rustici enim cū ex pratis redeunt, & suos currus feno implent & aduehant, lentè suis equis incedentes, stridente plaustro omnes concitant ac perturbant. Idè vindicta Dei erga peccatores cū tarda sit, rectè per



currum prius stridentem indicatur. Maiori tamē ponderatione dignum est id, quod Sanctus Propheta in pedibus illorum animalium, qui trahabant currum, animaduertit. *Et pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum, sicut planta pedis vituli.* Ezech. 1. Septuaginta Interpretes sic vertunt. *Pedes eorum pedes alati, & planta pedis eorum, sicut planta pedis vituli.* Imprimis pedes illorum vt pedes vituli, non vt equi, aut alterius velocioris animantis apparebant; vt vltionis diuinæ tarditas manifestius ostendatur, non enim veloci ac celeri cursu, sed bouis aut vituli gressibus incedens, in peccatores inuehitur. *Sicut planta pedis vituli.* Deinde non sine mysterio hos animalium pedes alatos septuaginta interpretes nuncuparunt. Forsitan quia Cherubini speciem prædicta animalia referebant, vt indicat sacra scriptura, & idem ad vituli pedes alas gestantes, suā velocitate tanquam diuinæ iustitiæ internuncii monebāt, ac indicabant tarditatem diuini iudicii, antiquæ vitæ reformatione, & vitiorum extirpatione præueniendam esse, ne forsitan diuinæ iustitiæ curru mortales deprehensi illo oppressi occumberemus. *Non sic incedit Deus cum se nostrum benefactorem ostendit, sed festinanter beneficia hominibus concedit;* Idem cum Christus Saluator noster Zacheo benefacere voluit, sic eū alloquutus est.

*Zachee festinans descēde:* Luc. 19. Et iudæ proditori in prodicione prope-ranti dixit. *Quod facis, fac citius.* Ioann. 13. Ac si apertius diceret. Iudæ, etiamsi in tui Magistrī venditione ita festines, ego tamen pro emptione & redemptione tua citius propero; idem Christus Redemptor noster interrogatus a pontifice respondere noluit, ne forsitan humani generis salutem diu desideratam, & ab ipso ex animo concupitam retardaret: propterea hodiernā luce mundum ingrediens, festinanter officium redemptoris, & primò circa Iohannem exequitur. *Abiit cum festinatione.* Ex hoc primo redēptionis nostri Saluatoris fructu, maximus Christi erga Baptistam amor ortum habuit, in illo enim primus fructus & primitiæ redemptionis splendidissimè micarunt. Idem Assuerus præcæteris sui regni ciuitatibus Susam diligebat, & singulis annis in ipsa splendidiora cōuiuia celebrabat, nō ob aliam causam, nisi quia suo regno & principatui initium dederat. David etiam erga ciuitatem Sion, quam peculiari amoris signo suam nuncupabat, summopere afficiebatur, quia illam ante alias occuparat, idem sacram testamenti arcam in illa deposuit, vt tantis illustrata bonis, celebris haberetur. Primam ergo ciuitatem, quam Christus in hoc sæculi regno, triumphali pompā obtinuit, hæc fuit sanctissima Baptistæ anima, idem

ideo præ cæteris dilexit & præcipuis fauoribus profecutus est. *Et salutavit Elisabeth.* Hic elucet & aperitur maxima Beatiss. Ioannis prærogatiua, & Dei erga ipsum ardentissimus amor; neq; enim solùm Beatiss. virgo, sed etiã ipse Deus, quem suis viscerib. inclusum gestabat, Baptistã visitauit. Statim atque supremus huius vniversi artifex & dominus ex cælestibus palatiis in hæc terrarum sola descendit, Ioannem etiã in vtero latentem quærit ac visitat, quod factum ardentissimum Dei amorem indicat. Si enim Rex aut Imperator ciuitatem aliquam accederet, & statim ex equo descendens quendam illius ciuitatis nobilẽ visitaret, hoc maximum amorem & fauorem manifestaret, & multò maiorem imperator ostenderet, si pedibus laborans læticam vel currum peteret, vt ipsum in propria persona salutaret. Hoc ergò Deus in fauoris & amoris indicium cum Ioanne præstitit, ex cælestibus enim palatiis descendens, per postam quasi ad illius domũ properauit vt eũ visitaret, & cum pedes illum conuenire non posset, vtero Beatissimæ virginis tanquam curru & splendidissima carruca usus est, vt sic illum salutaret. *Et exultauit in gaudio infans in vtero eius.* Quamprimùm Beatissima Virgo salutauit Elisabeth, illius, ac Verbi Diuini aduentum Baptistã perſentiens, in vtero exultauit; Ita enim effica-

cia fuerunt verba salutationis, vt secum vim & operationem diuinam afferentes, maternum vterum, & infantis etiã in vtero latentis aures penetrauerint, ac illius animam ab originali culpa emundauerint; Ideò exultat infantulus, & ad Beatissimæ Mariæ sonitum ita lepidè & gratiosè saltat, quòd Elisabeth maximo gaudio impleuerit, & ad tales exaltationis voces concitauerit. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Quibus verbis Euangelista effectum indicat, qui in homine, cui remittitur culpa, reperiri debet. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Quemadmodum enim de nulla alia re magis contristandũ est quàm de culpa mortali: Ita de nulla alia magis gaudendum, quàm de reparatione diuina per gratiam, cum homo ad pristinã Dei amicitiam reuocatur. *Reliquum est vt qui habent vxores tanquam non habentes sint, & qui sicut tanquam non sicut.* 1. Cor. 7. Nulla enim rerum temporalium iactura nostrum animum perturbare & contristare debet, sed sola Dei offensa lugenda & deploranda est, vt sic gratiã diuinã per dolorem in præſenti seculo acquisitã, postea gloriã in futuro digni inueniamur. Quã mihi & vobis concedat author gratiæ & gloriæ

I E S V benedictus in omne ævum. Amen.



Sermo